

7772 Genuae nella Badia di S. Stefano STEPHAN. similiterque SCHIAFF. Nella chiesa di S. Stefano et hora nel palazzo del sig. L. Grimaldo GAND. 1614. In basilica metropolitana MUR. et POSTERIORES. Ibidem adhuc.

† HIC REQUIESCIT BONAE
 MEMORIAE SANCTVLVS
 SVBDIAC · IN PACE QVI VIXIT
 ANNOS PM LXXX DP EIVS VI
 5 KAL MAIAS CONS ALBINI VC· CONS p. C. 444 493†
 † X †

Contuli. Ganducius *disc.* 1614 p. 102; Schiaffino vol. 1 p. 321; Stephanonius ms. p. 81 (inde Donius cod. Maruc. A. 293, ed. 20, 31; Gudius ms. 676, 1, ed. 372, 1); Mur. antiq. Ital. 5, 57 et inscr. 407, 1 ex schedis suis; Zaccaria apud Calogerà 35 (1746) p. 145 et excurs. 1, 28; Paganetti 1766 2, 309; Odorici in cod. bibl. civ. Genuatis E. VII. 7 indeque *giorn. Ligust.* 1828 p. 244—251 'de epitaphio Sanctuli subdiaconi'; Vernazza misc. bibl. reg. Taur. 59 f. 137.

Cf. de consule Rossius inscr. chr. 1, 401.

CIV. VADA SABATIA (*Vado*). Tribu Camilia?

Iter Genua Albingaunum maritimum alterum, alterum terrestre sic describitur:

ITIN. MARITIMUM p. 502:	STRABO 4, 6, 1 p. 202:	PEUTINGERANVM:	RAVENNAS 4, 32. 5, 2:	ANTONINIANUM p. 294:
Genua portus	Genua	Genua	Genua (gmia)	
		VII?		
		ad figlinas	ficclinis (falinis)	
		XIII		
		Hasta	Asta (<i>al. om.</i>)	
		VII		
XXX	stad. 260 = XXXIIS	ad navalia	navalia	
		XIII		
		Alba Docilia	alba (aba) decelia (ucilia)	
		X		
		vico Virginis	vico Virginis	
		VIII		
Vadis Savadis portus	Sabata	Vadis Sobates	Batis Sabatis	Vadis Sabatis
				VIII
XVIII	stad. 370 = XLVIS	XXIX		Pullopice
				XII
Albingaunum portus	Albingaunum	Albingauno	Albingano (-nis)	Albingauno

Vada Sabatia a nominativo Sabatis, non Sabatius (sic vita Pertin. 9. 13, item Plinius 3, 5, 48: *portus Vadorum Sabatium*) sive Vada Sabata (sic itineraria supra relata idemque latet in corruptela apud Strabonem 3, 6, 1: τὰ καλούμενα Σαβατοναδὰς, ὅπερ ἐστὶ τενάγη) sive Sabatia (Mela 2, 72; Steph. Byz. s. v.: Σαββατία κώμη Κελτική) sive Sabata (sic Strabo deinceps p. 202. 216. 217 et Ptolemaeus 3, 1, 45) sive Vada (Cic. ad fam. 11, 10, 2. ep. 13, 2) ubi fuerint et Mela Pliniusque ostendunt collocantes in ora inter Genuam et Albingaunum interiecta, cum errore inter mediterranea oppida ponat Ptolemaeus, et accuratius itineraria supra relata ostendunt errores invicem corrigentia. Accedunt indicia ex locorum natura nominibusque quae sunt petenda. Scilicet Vado oppidum quod nunc est cum a Genua distet m. p. c. XXXII, ab Albenga m. p. c. XXX, in illa parte sequendi sunt Strabo et itinerarium maritimum, in hac Peutingerana, cuius via Genua Vada quo pertineat, nemo adhuc expedit, nec facile expeditur. — Vada haec antiquitus, sicut nunc proxima eis Savona, in navigatione huius orae post Genuam secundum semper locum tenuerunt. Ita Mago cum Genuam incendisset, Savone oppido Alpino praedam deposuit et decem longas naves in statione ad praesidium reli-

quit (Liv. 28, 46, 10), ubi Savo probabiliter creditur quae nunc est Savona, statio autem Vadensis, cum praesertim mox (29, 5, 1) classis Magonis reperiatur stans inter Albingaunos Ligures Genuamque. Vada cum a D. Bruto sic depingantur (ad fam. 11, 13): *quem locum volo tibi esse notum; iacet inter Appenninum et Alpes impeditissimum ad iter faciendum* verissime omnino, nihilominus quattuor inde viae exierint necesse est, prima Genuam, altera Albingaunum et ad Alpem maritimam, tertia trans Appenninum per vallem Bormidae Aquas et Dertonam, quarta item trans Appenninum per vallem Tanari Pollentiam. Prima pars est viae Aemiliae Scauri factae a. u. c. 645, quam in ora Ligustica terminum habuisse ad Vada supra vidimus (p. 885); altera pars Iuliae Augustae stratae a Vadis ad Varum a. u. c. 742 (p. 828); tertia item pars fuit Aemiliae Scauri (p. 827); de quarta in itinerariis non memorata supra exposuimus p. 850. — Titulos ex ora inter Genuam et Albingaunum habemus paucissimos repertos eos ad Sestri Ponente, Savonam, Vada, denique in insula Bergeggi. In uno n. 7779 tribus est Camilia; alter n. 7775 Vadis repertus honorarius est senatoris. Haec autem indicia et ipsa confirmant Vadenses suam rem publicam habuisse.